Carolus X Gustavus

329.

LITERÆ
Reg. M.tis Sveciæ
Ad
Imperatorem
Romanum
De
Bello Polonico.

STETINI apud JOH. VALENT. RHETIUM, S.R. Mtis. typographum. Anno MDCLV.

18 Juli

Serenissime & Potentissime Imperator, Domine Frater, Cõsangvinee & Amice charissime.

ETsi non dubitamus, qvin M^tas. V^ra. jam diu ex Residente suo, in aula nostra hactenus commorante, cognoverit, cui fini apparatum armorũ, in Regno & Provinciis nostris, ultra solitũ proxime præteritis mensibus institutum, destinaverimus; svadent tamen amicitiæ & vicinitatis leges, ut M^ti. V^æ. occasionem & causas actionis, qvam nunc contra Regem Poloniæ aggredimur, etiam literis aperiamus. Intercessit jam diu inter antecessores nostros Reges Sveciæ ex una, & Poloniæ Reges ex altera parte controversia. Qvæ qvia in herba non potuit sopiri, bellis satis diuturnis & gravibus utramq; gentem implicuit, & tandem una cum Sveciæ sceptro ad nos est devoluta; sed tamen cum qvadam armorum cessatione: ita, ut, cum gubernacula

regni

regni ſusciperemus, ex induciis anni circiter ſex reſtarent. A nobis itaq; rerum in Svecia potitis, muneris noſtri ratio exigebat, pervidere, qvid hactenus durantibus induciis inter utraq; regna actum, & qvo loco res utrinqve tum esſent, ne, dum & animi noſtri inclinatione & ex lege conventionis Stumsdorfienſis conſervationi induciarum paciq; perpetuæ faciendæ conſuluerimus, præter ſpem tricis inevitabilibus & bello exitiali involveremur. Ut autem tota hæc res eo melius intelligatur, conſiderandum venit, qvod inter alia dictis induciarum pactis conventum ſit: *Primo*, ut ex regno Poloniæ, magno ducatu Lithuaniæ & cæteris ditionibus Polonicis nullæ molitiones, nedum hoſtiles actiones tentarentur adverſus Reges & regnum Sveciæ: *Deinde*, ut Rex & reſpublica Polonica adverſus Regem & regnum Sveciæ nulla claſſe utatur, vel aliis qvibuscunq; auxilio ſubmittat: *Tertio*, ut currentibus induciis agatur de pace perpetua, ita tamen, ut, ſi tractatus ejusmodi ſemel aut iterum non ſucces ſerit, firmæ nihilominus & invio-

violabiles manerent induciæ. Qvod contra expresſas hasce pactionum conditiones Poloniæ Rex ULADISLAUS nunc hoſtilem irruptionem in Livoniam ſive conniventia, ſive auxilio promoverit, nunc alibi aliorum nobis tum infeſta arma adjutaverit, nunc Sveciæ à Dania cesſàm & debitam inſulam Oeſeliam ſubtrahere, & qvocunq; alio modo ex amicis inimicos & hoſtes Sveciæ reddere, imo ſubditos ad defectionem ſollicitare anniſus ſit, ita omnibus vicinis tam ex rerum notorietate, qvam publicis ſcriptis nota ſunt, ut uberiori deductione nunc non egeant. Nos noſtris temporibus propiora partim ludibria, partim damna, & qvidem nobis ipſis & regno noſtro à moderno Poloniæ Rege, ſub ſpecioſo pacis ſimulacro præparata & jamjam imminentia exitioſa conſilia paucis commemorabimus. Cum honoratisſima noſtra mater & conſangvinea, Serenisſima & Potentisſima Sveciæ Regina CHRISTINA, poſt mortem Regis Poloniæ ULADISLAI rogaretur, ut fratres ejusdem Principes ſuperſtites, JOHANNEM CA-

SIMIRUM & CAROLUM FERDINANDUM, commendaret Senatui & Ordinibus Poloniæ magniq; ducatus Lithuaniæ, qvo eorum cumprimis ratio in electione novi Regis haberetur, id eqvidem pro ambobus singulari cura fecit, & cumprimis Principis JOHANNIS CASIMIRI, ut ætate provectioris, promotioni omnem suam operam & studium accommodavit, hoc sibi emolumenti exinde expectans, ut vel ipse Princeps JOHANNES CASIMIRUS ad regiam dignitatem evectus tanto sincerius ad perpetuam pacem æqvis conditionibus faciendam excitaretur, vel, si eam negligeret, orbi tamen constaret, qvantum heroica mens propinqvo sibi sangvini tribuisset. Verumenimvero, Qvam JOHANNES CASIMIRUS Princeps commendationis causa venerabatur, Eandem postea, coronâ Poloniæ insignitus, contra pactorum præscriptum debito coronæ honore afficere detrectabat. In ipsis induciarum pactis expressa est mutuæ titulaturæ ratio, qvæ, ceu fundamentum cessationi armorum substructa, utrinq; postea erat ob-

obſervanda: idq; in Tractatu Stumsdorfienſi ratione Poloniæ ejusdem primarius Commiſſarius, datis literis ad Sveciæ partis primarium Commiſſarium, teſtatum fecit: confirmantibus inſuper idipſum non modo Regis Angliæ & Ordinum uniti Belgii Legatis, ſed ipſo etiam uſu. Hanc mutuæ correspondentiæ baſin ſubruturus hodiernus Rex Poloniæ, vel non dedit alte memoratæ Reginæ titulos ſtylo Pactorum congruentes, uſus Gallico ſermone, à titulorum congerie alieno: vel in latinis literis & ſcriptis titulum qvidem Regni Sveciæ ei attribuit, ſed ſibi & titulos & inſignia Regni Sveciæ reſervando, idq; nunc in literarum & Procuratoriorum ſcriptura, nunc in Sigillorum partim integra ſtructura, partim eorundem ſive incruſtationibus ſive involucris. Cum Mediatorum interventu Lubecenſes bini congresſus ad pacem perpetuam conſtituendam esſent decreti, inſtitutiq;, primum & præcipuum obſtaculum tam ſalutari propoſito objecit Rex Poloniæ indebitâ ſibi titulorum uſurpatione: nam præter

qvam.

qvam qvod Polonici Commisſarii ibi producebant plenipotentias variis vitiis refertas, etiam Rex Poloniæ in iisdem ipſis plenipotentiis ſibi titulum Regis Sveciæ retinuit; & cum inculcatum ſatis esſet, talia præjudicium afferre conventioni, uſitato ſtylo & tractatus tum præſentis initio, progresſuiq;, Commisſarii Polonici, agnoſcentes errorem, fidem dant Regis Chriſtianisſimi Legato, intra tres vel ad maximum qvatuor hebdomadas Sveciæ Commisſariis iri ſatisfactum. Verum tantum abeſt, ut ex condicto emendatas retulerint Plenipotentias, ut poſt longi temporis jacturam tandem ſint cauſati, ſe non fuiſſe auſos compellare Regem ſuum ſuper tituli Svecici omisſione. Huic irrito congresſui ſuccesſit alter ejusdem modi & eventus: Nam tum qvidem Rex Poloniæ in Procuratorii ſcriptura titulis Sveciæ abſtinebat; verum retinuit eosdem & Regni Sveciæ inſignia in ipſo ſigillo Plenipotentiæ adnexo. Paratis Sveciæ Commisſariis expectare emendationem Sigilli, ut ita integris Procuratoriis rem ſibi

sibi propositam aggrederentur, tandem aliqvando respondetur, Regem Poloniæ Cosacis debellandis occupatum vix admissurum hanc sigilli mutationem, etsi illud induci posset, non habiturum illic locorum artificem novo sigillo conficiendo idoneum: adeo ut ob hanc tergiversationem alter congressus sit abruptus, & honoratissimæ nostræ Matri & Consangvineæ, tum Sveciæ imperanti, satis superq; patuerit, Regem Poloniæ mutatis tantum ludificationibus tempus trahere & insidiari ejusmodi occasioni, qvâ, rebus domi compositis, Sveciæ possit imminere. Cum altememorata & honoratissima nostra mater superiori anno rerum in Svecia adhuc potiretur, & missus tum illuc nomine Regis Poloniæ internuncius CANASIHLIS contestaretur, Regem suum & Rempublicam Poloniæ velle Legatos suos plena cum potestate Stockholmiam ablegare, de toto negotio transacturos, eidem Polonico Delegato Nos illico, post susceptum Regni Sceptrum, per nostrum Regniq; nostri Cancellarium fecimus significari:

Nos eqvidem teneri ſingulari deſiderio componendi hæc diuturna & cruenta disſidia, ſed, antecedentium Tractatuum veſtigiis admonitos, vereri vel ingeſta hactenus ludibria & injurias, vel rerum inanes & eluſorias procraſtinationes. A parte Sveciæ abunde eſſe ſatisfactum pactis induciarum, qvod ſemel atq; iterum in primo Lubecenſi congresſu ludibria Regis Poloniæ tolerata ſint: Qvod verò tam ſolenniter per primi congresſus acta admonitus idem Rex, ſuſtinuerit tamen in altero repetitis vicibus in ejus usq; finem priori ludificationi inſiſtere, id vel patientisſimi Principis animum læderet. Si Regi Poloniæ cordi esſet ſolida & duratura pax, misſis non necesſariis & præjudicioſis misſitationibus, cito & ſine ambagibus per ſuos & Reip. plenipotentiarios in rē præſentem veniret, experturus in omnibus æqvanimitatem noſtram: Sin pergeret in propoſito ſuo, mittendis ſcilicet illis ad decipiendū Nos, orbemq; univerſum, internunciis literisq; Juribus & Dignitati noſtræ Regiæ derogantibus, non posſe Nos, tot documentis edoctos, aliud de illius actionibus judicium ferre, qvam Regem Poloniæ ſusq; deq; habere

habere ſacroſanctam pactorum fidem. Hisce tamen ſpretis venit præterita hyeme in Sveciam, non Legatio aliqva Polonica cum plena poteſtate, ſed, ut ipſe præ ſe ferebat, præliminaria ratione loci & temporis ad futurum congresſum complanaturus, Regius Cubicularius MORSTENIUS. Apographũ literarum fidei à Rege Poloniæ ad Nos directarum continebat eqvidem titulos utriq; noſtrum convenientes; ſed Rex Poloniæ, ut imaginarium illud jus, qvod in Regnum noſtrum prætendit, aliqva ratione, expunctis jam titulis Sveciæ, reſervaretur, in fine literarum adſcripſit ſibi plura regna, qvum tamen uno tantum gaudeat: ut nihil addamus de intermisſa una ex pactorum præſcripto & ſtylo inſerenda Etcæteratione, qvo etiam defectu Regum æqvalitati derogatum ibat. Non potuimus non ægre ferre, Nobis, poſt ſincera illa monita, qvibus CANASIHLES dimittebatur, ita adhuc illudi. Qvi ſine præjudicio rem conſiderat, deprehendet, non levem & minutilam interpungendi rationem hic verti, ſed in-

justa plurium Regnorum vendicatione, qvasi gravi ictu, concuti & Regiam nostram Coronam & fundamentum pactorum, præcisa plane spe futuræ transactionis. Passi itaq; sumus, ut nostri Regniq; nostri Senatores apud Senatum Poloniæ super hac indignitate qverentur. Interea, & dum hæc agitantur, ex variis locis certiores reddimur, eundem Regem Poloniæ non modo superius indigitatæ Svecicorum subditorum defectioni in Livonia magno studio insudasse, sed pacandis etiam Cosacis Livoniam prædam & sedem jamdiu offerre. Et, qvod Nos, Regnum, Provincias & subditos nostros qvam maxime afficit, eo ipso tempore, qvo Rex Poloniæ apud Nos videri vult serio agere de pace, vicinos & amicos nostros, præsertim mare Balthicum vel accolentes vel freqventantes, ad communem societatem, nobis exclusis, pellicere, & conceptâ jam fœderis formulâ peregrinam classem dicto mari, in manifestum & irreparabile juris & rationum nostrarum præjudicium, inferre satagit. Qvi vel non satis considerratis

ratis

ratis partium rationibus & rerum circumſtantiis, vel Poloniæ addictiores de ſupradictis ultimis incidentibus judicium ferre deprehenduntur, ingerunt, tam graves qverelas vigore Pactorum & induciis ſalvis ab utriusq; partis Commisſariis, loco aliqvo ad Livoniæ fines debuisſe ventilari, decidi & ſopiri. Niteretur hæc eorum objectio aliqva juris ſpecie, ſi Polonia tum, cum vel Senatores Sveciæ vel armorum Svecicorum ductores, aliiq; miniſtri ſæpius qveſti ſunt de Poloniæ Regum molitionibus & hoſtilibus attentatis adverſus Sveciam, Commisſionem talem medendis juſtis Sveciæ qverimoniis vel ſemel ſerio procurasſet. An Rex celaverit Senatum & Ordines qverelas Sveciæ, vel ipſa Respublica ſe talium conſiliorum participem fecerit, nunc non inqvirimus. Hoc tamen certum eſt, Sveciæ qverelis qvandoq; reſponſum esſe vel facti extenuatione vel ejusdem ignorantia, qvandoq; nihil reſponſi relatum eſt. Nemo à partium ſtudio alienus judicaverit, conſiliis animisq; Polonorum ita comparatis, esſe è re

&

& decore Regum Sveciæ, Commiſſiones à Regibus Poloniæ emendicare. Et qvis Commiſſionum ad Livoniæ fines inſtituendarum alium ſibi eventum, qvam habuere binæ illæ Lubecenſes, præfiguraret? Nam in ejusmodi Commiſſionibus nihil, qvod ſummam rei concernat, poteſt agi absq; Plenipotentiis; & Lubecæ protulerunt Poloni vitioſiſſimas. Qvum itaq; Poloniæ Rex, legitimis tranſigendi modis ſpretis, ludibria ludibriis cumulet, flocciq; faciens damna antea Sveciæ illatam, nunc ultimo Status noſtri jugulo exitium admovere paret, M$^{ti.}$ V$^{æ.}$ perpendendum relinqvimus, qvid Ipſa in tali rerum articulo ſibi faciendum judicaret. Nos, fruſtra tentatis omnibus mitioribus & pactorum tenori conformibus remediis, id demum, qvod tutandis vindicandisq; noſtris juribus, conſervandæ Dignitati, & protegendis ſubditis, ditionibusq; noſtris Divina Nobis Majeſtas concredidit, arripere ſumus coacti. Qvæ omnia & ſingula vel ideo M$^{ti.}$ V$^{æ.}$ nunc paulo fuſius exponimus, ut Ipſa non modo hujus noſtri con-

tra

tra Regem Poloniæ facti rationes penitius videat, ſed ſimul etiam certior reddatur, Nos velle non modo Pacem Oſnabrugis & Monaſterii Weſtphalorum factam eâ curâ, qvalem data fides & Pactorum religio reqvirunt, ſervare, ſed præterea etiam nihil eorum intermittere, qvæ ad bonam amicitiam & correſpondentiam facere videbuntur. Qvibus M^tem. V^am. Divinæ tuitioni peramanter commendamus. Dabantur Wolgaſti die 18. Julii Anno 1655.

Mtis. Veſtræ

Bonus Frater, Conſangvineus
& Amicus

Carolus Guſtavus.

M. Biörenklau.